

V C
1887





h. 18, 2. Q. XVIII, 20.

Erga

PIETATEM sanctissimam

Sanctæ PIETATI

PIENTISSIMI quondam Saxoniae Vllviri,

IOHAN-FRIDERICI SAPIENTIS

Parentatio,

Directore,

&

Swade Indice

Ipsô Germanæ MINERVÆ Vindice

Viro Clarissimo

Dn. JACOBO MARTINI HALBERSTA-

DIÛ-SAXONE,

facta

&

peracta

à

JACOBO COPIO, LUB. LUSAT.

VVITEBERGÆ SAXONUM,

MENSE FEBRVARIO.

ANNO

Redemptoris VnICI, & Seruatoris generis nostrî. 1676

VVITTEBERGÆ

Typis exscripta per Johannem Gormannum.



ARIS SACRIS

*Maximatum Lusatiae Inf. Optimorum, & Opti-
maturum Maximorum,*

Illustris & Generosissimi Domini,

Dn. FERDINANDI, Lib. Baronis à Bieber-
stein, DOMINI in Forst & Pforten/ &c. Heroicarum
Virtutum Herois Maximi;

Illustris, ac Magnifici DOMINI

JOHAN-GEORGI à Schönauich/ Domini
in Amptitz/ Milckaw/ Stargardt/ &c. Maximarum &
Optimarum Virtutum Exemplaris ad Exem-
plum splendidissimi;

Nobilissimi ac Strenuissimi Domini

SIGEFRIIDI von der Dahm/ Equitis Lusatiae
Super. florentissimi, &c. Arcisque, quae est in Regia Lubena,
Regiae Praefecti Vigilantissimi, Gratiarum & Lin-
guarum Ocelli fulgentissimi,

Dominorum Suorum
Clementium, Faventium;

Nec non

Viri Exercitatisissimi, Domini

JACOBI COPI Archiatri Illustrium Lusat.
Infer. Ordinum studiosissimi, PARENTIS Sui
Benè-merentis Carissimi,

Hoc Sacrum

SVADÆ LEVCORIÆ

Primetium

quò, quò vult, quò debet, Animò,

Humilimè

In Meliorem Sui Notam

Sacrat & imponit

JACOBUS COPUS.





QUOD DEUS *immortalis*, ΜΟΥΣΑΓΕΤΗΣ *noster*
summus, & Patriæ *Nostræ*, *Nostris* Alveolis, *nostris*
 Aris, & Focis, VOBISQUE, Clarissime DI-
 RECTOR, Commilitesque, quos Præsentes
 jam intueor, Attentos veneror, Candidos ex-
 osculor, *lectissimi*, Benè, Faustè, Feliciter esse
 velit, jubeatque; EGO hujus Loci *Auctoritatem*,
 hanc Musarum *Sedem*, hanc *Suadæ Palestam* Homo & Ingenio,
 & Genio imus, ordine verso, primus contingere, & attingere
 non dubitavi. Quarum partium *Spartam*, si vel *Audaciæ* thyrso
 percussus, vel *Arrogantiæ* œstro percussus, ornandam saltim, si
 non exornandam susciperem; gravis, imò gravissima, meipso
 & Teste, & Judice, vix ac ne vix quidem me effugeret cùm
Offensio, tùm *Reprehensio*. Etenim si Illos, quos Error, non Ma-
 litia, Culpa, non Dolus, non nihil è *Modestæ Virginis* choro ab-
 duxit, Vitii inurimus notis, quid fiet illis, qui *Dicendi* Provin-
 ciam, cui sese impares, Alios pares nôrunt, sibi tamen *audacter*
 deposcere, *arrogantèr* eripere non erubescunt? Verùm utrius-
 que *Criminis* vinclo non tam adsentiente Vocis, & Vitæ testi-
 monio, quàm Consentiente *Vestrùm* sententiâ, solutum Me iri,
 vel jam esse potiùs, confido. Apud Vos enim AUDACIÆ ma-
 culam adeò non extimesco, ut si quis Ejus notis adspergere Me
 ausit, is non minùs ridiculè, & leviculè videatur facere, quàm
 si Heroum præstantissimum, HERCULEM, cujus genero-
 sum pectus incredibili quodam robore accepimus armatum,
non augusti, set angusti Animi fuisse, eat adfirmatum. Adeò certè
 ab ipsis *Vitæ* incunabulis à tramite *Audaciæ* absun, ut si quis Se
Mibi doctorem, ac ductorem ad Eam, ad Eam, inquam, *modera-*
tam, non immoderatam, modestam, non immodestam, fore profiteatur,
 eum EGO cum *Isocrate*, Oratorum illo Ocello, Liberali precio
 conducendum, existimem, & consecrandum. Videre enim

licet, quorum Ingenia nimia sternit, nec raro prosternit *Ver-*
cundia. Eos ad obeundas Rerum functiones parùm videri, & esse
 adpositos, & aptos. Sed ne ARROGANTIÆ jure quis mihi
 inusserit, incusseritq; stigma, quippè quæ sine *Audaciæ* clypeo;
 ut *Pudor* sine *Metu*, se tueri haut potest. Quid igitur, Doctissimi,
 & in ipsis Gratiarum manibus edocti, educti, & educati *Commilit-*
tes, quid est, quòd Loci hujus *Auctoritatem*, hanc Musarum *Sedem*,
 hanc *Suadæ Palestram*, Me, Hominè Literis, & Literarum à imum,
 attingere primum adegit? Dicam; Vos audietis. Cura & Vo-
 luntas Excellentissimi Nostri, cujus Os coràm Oculorum Ve-
 strorum libatis acie. DIRECTORIS, quem, ut Navigantes
 Cynosuram, nunc respicio hætenusque respexissem, per, hoc
 Oneris humeris meis imposuit, quod, ne *Difficultatem* diffugere
Ignaviâ, *Negotio* anteferre *Otium* videre, libuit quia sic licuit su-
 bi e primùm, deinde obire. Sicut namque Matres, quæ Pue-
 ris bellaria & fructus in sinum ingerunt, & sollicitè succingunt,
 ne excidant. Ità satagere convenit, ne pereant quæ optimè mo-
 nita insnuant *Viri Pii*, *Viri Prudentes*. Nautas in tenebris Jo-
 vis micantis, aut intermicantis sidus regit, dirigit; quid causæ
 quin illi ipsi nos hoc in literario pelago natantes, atque nutan-
 tes? Verumenimverò, quid Loci hujus *Auctoritati* proponam?
 quid in hæc Musarum *Sede* deponam? quid in hæc *Suadæ Pala-*
strâ componam? Proponam hîc, *Commilitones*, VIRUM Principem;
Saxonie olim ELECTOREM, JOHANNEM FRIDERICUM;
 qui, cum SAPIENTIA ignei evecta quadrigis Ultramque So-
 lis Domum Nominis ejus Fama repletet, SAPIENTIS non
 Nomen tantùm, set & Omen tulit, hodieque tenet. Deponam
 hîc, COMMIL. Memoriam *Ejusdem*: Componam hîc istam Me-
 moriam, cum illâ quam tantopere adfectabat, *Æternitatis* lau-
 de, & gloriâ. *Gloria* namque sola Benefactorum Merces. *Glo-*
ria tollatur; vix virebunt, & vigebunt Benefacta. *Gloria* Isti-
 mum perfodere, Chimæras & Hydras confodere docuit Ge-
 nus Humanum. Hinc tot locatæ sunt Statuæ, tot Aræ collo-
 catæ. Quid obstabit igitur, quin & Memoriam isti, isti *Æterni-*
tati, & *Gloriæ Principis* nostri, ipsâ *Æternitate* dignissimi sta-
 tuam

tuam aut Aram locemus, & collocemus? Utpotè, si Vetus Superstitio Benè de Patriæ Salute foris, domique Meritis non unam aut alteram Statuas, sed centum, Centum verò? Imò trecentas, aut plures sæpenumerò erexit; Nemo tam Iniquus Rerum erit Æstimator, qui Huic PRINCIPi, quem non PATRIÆ tantùm, sed & RELIGIONIS, quæ alis Illius operâ receptis, in Germaniam & Europam penè omnem provolavit, & pervolavit, PARENTEM possumus salutare, erectam à Nobis Statuam, aut Aram invidebit? cùm præsertim tanta Laudum, quæ in Illo vel effloruerunt, ut Rosæ, vel resplenduerunt, ut Stellæ, sit Seges, ut eas omnes unius Homini Oratio non dicam complecti dicendo, sed vix percensere possit numerando. Quas laudes, si sequi coner, & persequi, non solùm Tempus, in cuius perbreve curriculum sum conclusus, Me desereret; sed etiam hæc Vox, hæc Vires, hæc Latera destituerent. Quamobrem, quod cauti, & cati Bellorum Duces factitant, ut, cùm angustiis circumsepti in Pugnam emittere, & effundere universi globum Exercitûs non possunt optimos & lectissimos Militum in primam aciem, & ipsa principia subducant, cæteris abductis, & post principia locatis: Itidem his Temporis, Vocis, Virium, & Laterum angustiis præclusus faciam, & ex infinitâ sive Laudum, sive Virtutum; quas Principis nostri Vita parit ex se ipsa, & uberrimas fundit, Manu. Earum quamdam Ducem, & Principem in Aciem diducam. Quænam verò illa? Num Fides, & Constantia, quam nulla Temporis Asperitas in hoc PRINCIPe labefactare? Num Iustitia, quam nihil in Illo ipso inflectere? Num Prudentia, quam nihil in Eodem fallere? Num Pietas, quam nihil evertere, nihil pervertere potuit? Non erit Fides illa, & Constantia infracta. Non erit Iustitia illa rigida: Non erit Prudentia illa sagax; sed PIETAS erit, sub quâ cum quâ, vel potius in quâ & Prudentiæ sagacitas, & Iustitiæ Rigiditas, & Fidei, ac Constantiæ inf actum robur militabit, pugnabit, depugnabit. Veniat itaque, videat, vincat PIETAS ELECTORIS Pientissimi cum Milite Suo. Illa dico, PIETAS veniat, videat, vincat, quam ELECTOR Pientissimus pro Religionis Aris bellando, & debellando;

pro *Patriæ* Focis sudando, & desudando declaravit, & Totius *Europæ* Theatro manifestavit. Hanc verò PIETATEM in Arenam, & Pulverem dum propello, Vnum hoc à TE, Ingenii acutissimi, Judicii exactissimi, Doctrinæ exquisitissimæ DIRECTOR, peto, ut ORATIUNCULÆ huic, quam TUA *Mihi* præscribit Auctoritas, & Ipsa, non *Charis*, aut *Venustas*, set PIETAS conscribit; TUA etiam adsit *Benignitas*. A VOBIS autem COMM. Majorum Imaginibus nobiles, politioris Doctrinæ decore præcellentes, Virtutum splendidissimarum laude excellentes, oro, ut *Humanitas* Vestra, quâ VOS Natura polivit, sinat Me tamquam *Athenesium* coram *Philone*, aliquantulum ineptire. Quemadmodum enim *Athenesius*, cum cogeretur de *Gloriâ* disserere coram *Philone* (cujus jam Aures cognoverat & *Demosthenicæ* Eloquentiæ inustas calamistris, & *Atticæ* Dictionis Puritate delicatè politas) illum somniavit absentem; ne *tanti Viri* de *Gloriâ* cogitatio medium *Sibi* Dictionis filum intercideret: Sic Ego, quoad de PIETATE, & GLORIA JOHAN-FRIDERICI SAXONIÆ olim ELECTORIS SAPIENTIS disseruero, Vos aliquantisper *somniabo* absentes, ne qui omnem de PIETATE, & GLORIA JOHAN-FRIDERICI Dictionem antevertitis *Cogitationis* acie, hanc meam tenuiorem in medio jam fluctuum æstu fluitantem, & fluctuantem penitus obruatis. Set hoc ipso Horulæ punctulo, tamquam divinâ Virgulâ *Endymion* incipio *somniare*. Faveto DIR. Attendite COMM. Ego ad ipsum *Causæ* jugulum peragendum pergo.

EA est Divinæ PROVIDENTIÆ sive *vis* in constituendo, sive *Necessitas* in conservando S.S. Religionis *κειμηλίω*; ut cum RELIGIO sævissimis Hæresium morbis affligeretur; semper fuerint; qui Salutarem Ipsi adhibuerint manum, herbam exhibuerint medentem, Spiritumque reddiderint viventem. Laboravit siquidem diversis Temporum articulis RELIGIO, gravissimè procul dubiò, ità tamèn, ut huic Morbi gravitati, si periculosa esset, sanandæ, si contagiosa ressecandæ *Piorum Principum* PIETAS medicinam fecerit; *Ejusq;* Corpori, vel abstersâ labeculâ, antiquum reddiderit nitorem, vel adsperso colore,
 novam

novam induxerit formam. Itaque cum Superiorum Anno-
rum tempestate; Temporumque nocte, *ipse*, cui nullus ludus
jucundior, quam cædes, quam cruor, quam trucidatio *Innocen-*
tum, SATAN jugulum *Religionis* peteret, & omnes undique par-
tes tentaret, hinc Hæresi, illinc Pravitate; *Romanensiumque* Ra-
bies cervicibus nostris immineret, & Oculos ad nobilissimam
NOSTRAM PATRIAM, GERMAN. quam semel è faucibus
raptam, ereptamque dolebat, adjiceret; Vexillum *Rom. Purpu-*
rata Bellua in *Mediâ Saxonîâ* fixuram se meditaretur, defixuram
minitaretur; atque non *Prædam* nostram, set *Vitam*, non *Servi-*
tutem, set *Sanguinem* venaretur; ac sic ventum ferè ad Supre-
mum esset, & jam, jam RELIGIONI acerbum Funus duce-
retur, jam ad Rogum, cui intestinæ *Germanorum* flammæ sub-
jiciebant faces, Mœsti, atque Atrati *Liberi Parentem* in Confes-
sione, & Professione Purioris Doctrinæ constantem, & per-
stantem prosequerentur; Ecce hic *Miraculum* quasi quoddam
DIVINÆ PROVID. JOHAN-FRIDERICUM Nostrum,
Nomine & Re SAPIENTEM! Hic exortus, ut alter *Asclepiades*, Sa-
lutarem *Religioni* Dexteram, Medicinamque porrexit, & ab
Orci faucibus ad *Vitæ*, *Lucisque* munera erexit. Hic Nos PIE-
TATI; *Nobisque* PIETATEM restituit, si non rectissimè tum
tamquam in primis incunabulis valentem; spirantem certè,
& meliùs indies sperantem. *Hujus* quippè *Studia* erga RELI-
GIONEM sic elucebant; ut, quemadmodum *Octavianus ille Au-*
gustus Augustissimus *Fato* quodam natus videbatur, ad *Civilia*
Romanorum Bella terminanda; & multis post seculis *Iani* tem-
plum claudendum: Ita JOHAN-FRIDERICUS, *Principum*
Smaragdus, & *Splendor* quasi quidam *Divinus*, ad *Tenebras*
Religionis pellendas, *Lucem ejusdem* accendendam, *Lucis* verò
Hostes; *Romanos* nimirum *Gigantes*; qui non *Homines* ampliùs,
set *Monstra* loquebantur, *Veritatis* fulmine, è *Cæli* sui culmine
depellendos, satus, & donatus illi *Rerum*, & *Temporum* Nova-
culæ divinitus videbatur. Siquidem per *Hunc* stabat *Foro* Ju-
stitia, *Litteris* decor, RELIGIONI nitor: Et quicquid vive-
bat, RELIGIONI vivebat, non *Sibi* tam certus scilicet mori,
ut *illa*

ut *Illā* viveretur; quā promptus vivere, ne *Illā* moreretur. Profectò hoc ELECTORIS erat; quod Poëta tūm scientiā profundus, tūm amœnus ingenio cecinit: (l. 4. Æn.)

*O Mihi vel Tellus optem prius ima debiscat,
Vel Pater Omnipotens adigat me funere ad umbras,
Pallentes Umbras Erebi, Noctemq̄ profundam,
O Pietas, quā TE violo, aut TU A jurare solvo.*

Obsecro, Mei COMM. Annōn PIETAS ista in Ruborem Vos dat, & Stuporem? Credo. *Quamta* enim hoc PIETATIS; Religionis interclusam Viam vitæ cum periculo aperuisse, & Omnibus ad benè de eâ sperandum, *signum* quasi aliquod protulisse, & prætulisse? *Quamta* hoc Pietatis, Pontificii Seminis quicquid erat sparsum, è totâ suâ latè Ditione evulsisse? *Quamta* hoc PIETATIS, Hominum hos Exemplo, illos verbo, plurimos Consilio Hæresios Spiritu, tamquam turbine abreptos duxisse, & reduxisse in Rationis alveum, & ECCLESIE tandem orâ, Religionisq̄ Regione terminasse, & monuisse, ut è spurcissimis Sordium latebris exeant, viamq̄ illam PIETATIS arctam, fet *Gloriæ*, veræque *Pacis* flore sparsam seriò ineant, insistant, & in eâdem persistant? Rem latè patentem ut substringam, svadet *Tempus*, vult *Ratio*, jubet *Patientia Vestra*: Illud tamen nihil impedit, quò minùs dicam, quod *Parietes*, ut *Mihi* videtur, *Harum Ædium* quomdam *Melanchthoniarum* dicere gestiunt; nempe, JOHAN-FRIDERICUM huc *VVitebergam*. VIRUM illum à *Pietatis* Candore venerandum, & *Eruditionis* decore honorandum, PHIL. MELANCHTHONEM adcersendum curasse; & hac ipsâ, sub cujus jam tecto confedimus, *domo* donasse; ut in Societatem LUTHERI, qui juxta *Principem Tyrannidos Pontificiæ* nervos elidere, & *Doctrinæ Cœlestis Veritatem* diutinis, & diuturnis *Errorum* tenebris pressam, ac modò non oppressam vindicare, & in lucem vindicare constituerat, adscisceretur, & tamquam *Agger* objiceretur, molliculis fortis, indoctis Doctus. Non enim satis ELECTORI erat Religionis pullulascens semina in *Sui Pectoris* quasi quodam agro coluisse, nisi disper-

serit

ferit in alieno; non satis illi fuit, *Puritatis* fovisse fibras, nisi *Heresios* evulsisset. Huc spectabant *Illius* cogitationes, huc *Studia*, huc *Dies* in precibus peractæ, *Noctes* in vigiliis transactæ; huc *Curæ* spectabant omnes, ut quam *Fidei Puritatem* habebat, & tenebat, eam *Ille* non solum integram retineret, set sanctam etiam rectam traderet *Posteris*. Quod quidem vidit GERMANIA, stupuit SAXONIA. Quid ergo hoc explicem clarius? cum explicent, & loquantur hoc *Fœminæ*, *Pueri*, *Parietes VVitebergenses*. Noluit, noluit hic *Pietatis Dux & Auclor*, sive propagandæ, sive propugnandæ RELIGIONIS cogitationes iisdem, quibus suam *Vitam*, circumscribi *Regionibus*; Voluit Suam *Mortui non Morituram PIETATEM* ad *Vivos* manare, & semper manare, & per *Viros numquam morituros*, hoc est, *Doctos & Orthodoxos manare*. Siquidem, cum cogitaret istud *prudenter*, ut omnia, *providè*, ut *divinus*; ACADEMIAM hanc, *Virtutis, Doctrinæq;* *Satricem largam, Matricem veram*, tamquam *Filiam* edidit, & in hujus *Urbis* gremium posuit, ne *humeris istis innixa*, ac *subnixa* cadere posset. Neque hæc *Electoralis Filia PATRI* splendidissimo fuit dedecori, set *mirâ fertilitate* produxit *Homines politos*, & *tornatim expolitos*, atque *primæ classis Viros*, qui *rudem Barbariem*, & *Impietatem* pellerent, propellerentque. *Studia* namque tractata fuerunt summâ *Fidelitate*, summâ *Felicitate* pertractata tum, cum *Purioris Doctrinæ Sidus*, ἀριδων humanarum nubibus diu involutum, his in *Terræ Oris* inciperet oriri. Ab hæc primùm *primæ Pietatis, & Doctrinæ Lac* suxerunt *Viri Plurimi, Optimi, Doctissimi*. Quorum *Seges Alieni quoque fuit Soli*, & *Peregrini*, non *Germanici* tantùm, & *Patrij*, quamvis *sparsa* hic primò *Diligentia*, *Occata labore*, *Pietate* irrigata, & *Gratiâ*, tamquam *Sole matura* excrevit tandem *istam Messem*. Ab hæc igitur *Messe* in *Vniversi Orbis* quasi *horreum fructus*, *fœtusque* comportati sunt, & *importati uberrimi, Saluberrimi*; & ab omni *Lolio infelici*, ac *tristi integerrimi*. Ut *Sol* exoriens, inoriensque *nebulas* disjicit; ut *Ventus* *Aream* purgat: Ità *PRINCIPIS PIETAS RELIGIONIS* dissipavit *tineas*, *Soricesque*; *Regionemque* nube, & *labe omni* exemit: Et, ut

B

semel

semel dicam; *immutatam in melius* RELIGIONIS *Faciem Exteri* audiverunt, Nos vidimus. Audivit etiam, & vidit, atque adeò invidit *Religionis* Carcinoma, Pests, & Febris, *Cosmopolitanus ille Præsul*, Homo Semideus, atque DEUS Semihomø, qui, cum Ipse met *Proditionis*, & *Perditionis* genuina & germana esset Proles, Nos quoque & citò *proditurus*, & infelicitèr *perditurus*; Hujus *Religionis* Cursum, hujus *Cursus* Causam, hujus *Causæ* filum abrumperè gestiebat medium; & in hæc *Vota*, & *Verba*, tamquam tonitrua, & fulmina erga CAROLUM Rom. Imp. *Aquilam*, sine rubore, sine pudore erumpere audebat:

*Uttere jure Tuo CÆSAR, servosq; Lutheri
Ense, Rotâ, Ponto, Funibus, Igne neca.*

IMPERATOR Suo isto usus jure, cum *Scorto illo* *Babylonico*, quod verebatur, & reverebatur, instabat acriter, Omniumque *Principum* tamquam intentus arcus erat in unam RELIGIONEM. Itaque *Comitia* indicuntur, indicantur *Conventus Electorum* & *Imperij Principum* in *Imperiali* *Vindelicorum Augustâ*, *Nemetum Spirâ*, & *VVormatiâ*; jactantur minæ, pericula intenduntur, formidines adponuntur. His minarum jactationibus, his periculorum intensioibus, formidinum adpositionibus num terditus, num perterritus, num deterritus JOHAN-FRIDERICUS hastam proferendæ, ac proferendæ RELIGIONIS projecit, aut penitus abjecit? Minimè. Ut namque *Canes* *Ovium* *Custodes* excubias agunt, non *Sibi* timentes, set *Ovicularum* *Saluti*: Ita *ποιμνές*, ut *Poëtarum* *Platonis* ore dicam, & more, *λαῶν*, non tam *Sibi* debent timere, quam *Suorum* *Saluti*, & *Pietati*. Itaq; & *Noster* *τῆς εὐσεβείας ποιμὴν*, ut *Religioni*, & *Regioni*, *Legi* & *Gregi*; *Sibi* & *Suis* iret consultum, dulcissimis *Patriæ* *laribus* *relictis*, *relictis* *Pignoribus*, *Conjuge* *nempè*, & *Liberis* *Carissimis*, ad *Comitia*, ad *Conventus* properat, pergat, venit. O *Vis* *PIETATIS*, quid non in *Pectoribus* *generosis*; *magnis*, & *magnanimis* *adficis*, *perficis*? Non *Dulcedine* *Patriæ*, quam *abitu* *Suo* *mœrentem*, & & *paventem* *reliquit*, non *Pignorum* *Caritate*, quæ *Sibi* *eò* *discedente*, à *visceribus* *suis* *distrahi*, ac *divelli* *videbantur*; non

Hostium

Hostium feritate, non *Periculi* atrocitate retineri fortissimus *Princeps* potuit. *Valeant*, inquiebat, *Valeant* alia Omnia; ubi *RELIGIONIS* defendendæ Caput, & *Arx*, angitur, tangiturque. Quare, cùm jam in *Illis* esset, in quibus esse debebat, *Locis*, ecce ex alterâ Parte *Hostes* instare Superbissimi, & Omnia *PRINCIPIS*, etiam hujus *URBIS* tecta, has *Aras*, hos *Focos*, quos *Æternitati Musarum* *DEUS* servabat, flammis, & incendio dicare, *Vulcano* destinare: Ex alterâ adstare *Dolus* & *Astutia*, *Hoste* ipso crudelior, Cujus *Occasione* non simpliciter usi *Hostes*, paulatim irrepebant, *Cuniculos*que ad *Animos* convertebant. Nec amplius à *Crudelitate* periculum erat, set à *clementiâ*; cùm *harum Turbarum Fax*, & *Tuba ipsa* suavissimo ariete oppugnaret *Fidem* *Blanditiis*, *Veniâ*, *Muneribus*. Quibus armis neque gladii interdum pares sunt, neque præstans *Animi* robur. Facilimè enim *Ferrum* ab *Auro* retunditur; sæpiusque delinitur *VIRTUS*, quàm frangitur. At *PRINCIPIS JOHAN-FRID. VIRTUS* nec *Blanditijs* istis retundebatur; nec *Veniâ* deliniebatur; nec *Muneribus* frangebatur; nec *minâ*, nec *minis*; nec *pœnâ*, nec *præmiis* vincebatur, ut ad *Leones illos Romanenses*, & *Scorpios* laberetur. *Mens Illius* manere una, permanere immota, tamtò magis, quamtò majores essent tumultus, & insultus. *Omnes* enim instar *Sibili*, instar *floci*, instar *pappi* habere: *Omnibus* obstare, restare

Ut Pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circumlatrantibus undis,
Mole tenet: Scopuli nequicquam, & spumea circum
Saxa tremunt; lateriq; illisa refunditur alga.

Quod verò nihil à *Me* hîc detur *Gratie*, nihil dicatur pro *Tempore*; Te adpello *Tempus* illud *Consiliorum* *Omnium* conscium, & particeps. *Vos* adpello; qui *Magno illi*, & *Principali*, ut sic loquar, *ÆDILI* à latere tunc adstitistis, qui *Actionum* *Omnium* spectatores fuistis, omniaque non semel cum stupore quasi quodam intuiti, & admirati estis. Prodi Tu *Iuste Iona*, & referet jamnum, *tamta fuisse Constantiæ Electorem Sax. in Comit. August. ut*

Ioh. VVolf.
lect. Memo-
rab cent.
16, t. 2.

omnes suos hac in re & Politicos, & Ecclesiasticos vicerit. Prodi Tu Iohann. Dolti, qui PRINCIPIS à Sacra, secretaque fuisti Aure; & referas in Conclavi PRINCIPIS Preces, profer nobis illas, quas olim protulisti Philippo, dignas Principe Christiano Cogitationes; Refer, quomodo Suos in Religione Coniunctos Domum vocarit Suam, & convocarit, profer, quomodo torpentes eos excitarit, Currentes incitavit; ut quam Hæresios Hydram Lernæam viderent turbantem, miscentem, inficientem, conficientem omnia in GERMANIA; Eam pergerent non modò persequi Corporaliter, sed contere fortiter, Cruraque, ne ulterius progredere, truncare, Alas, ne altius provolaret, detruncare. Denique confer hunc hujus PRINCIPIS Laborem, cum Ipsius Patientia; Patientiam cum Constantia, Constantiam cum PIETATE. Sed eni Subitum è candore istarum nivium niveo ignem! Pauxillum enim hinc fluxerat, effluxeratque Temporis; ex quo inauspicatissima planè Bellonæ tela, & prorsus fatale quoddam pomum è eisdem in ipsum GERMANIÆ meditullium à Pontificiorum Nebulonum, qui ex infernali puteo sturnatim adscendentes totum orbem fætoris sui copiâ compleverant, projiciebatur. Nec mora: Plena omnia sunt motu, & metu. Videre mox erat in eadem domo Filios à Patribus, Fratres à Fratribus, Maritum à Maritâ capitali odio dissidentes; mutuo sermone dissentientes. Neque Se his privatorum Parietum claustris mali vis continuit; Venenique rabies retinuit: Nam videre etiam erat primaria mox Imperij lumina, & columina in discrepantia abire puncta; Animum Principis, & Voluntatem Imperatoris alienari; neque quidquam spectari, aut exspectari, quàm Dissensionem; quæ in apertum bellum prorumperet, vastitiam horrendam pareret, Cadmææque pugnae prælia pararet. Ardere ergò GERMANIA Bellorum facibus: Res ad Interitum PATRIÆ spectare: Impia Esavi Posteritas de intestino dissidio hoc sibi gratulari: de Bonorum omnium exscidio tripudiare: uno verbo, Omnia *Ἰπὶ ζυγῶ ἀκωνῆς* stare: donec tandem Hominum formâ induta (horresco referens) ad Raræ Pacis, & Pietatis Homines concionata sunt Furia, & ad Arma, cædes, incendia, ruinas, direptiones, harum

Harum Urbium, populationes horum Agrorum, harum Regionum vastitates perditissimum quemque impulerunt. Res itaque non amplius cum Theologis, set cum Sacrilegis, non cum Vicarijs, set cum Sicarijs, non cum Hominibus apertis, set cum Sinonibus opertis agebatur: nec quoque Religione, set Legione, non Arte, set Marte, non Chartis, set Lacertis, non Atramento, set Ferramento, non Cistis, set Cristis, non Prælo, set Telo, non Lege, set Grege, non Linguâ, set Pugnâ, tentabatur. Cernere tunc licebat Echidneó veneno infectam illam Hispaniam migrare in Germaniam: adspicere licebat, in mediâ Misnie, sive Saxonie Terrâ superbè inambulare, Celtiberiam, non secus, ut olim sub Neronis Principatu, in agro Marucino, Vecti Marcelli universum Olivetum viam transgrediebatur publicam; & contrâ è Vestigio arva in locum Oliveti succedebant: ut à Veri limite propè abesse putem Cleanthis & Ictæ Opinionem: *Super stare omnia, solam in mundo terram moveri.* Omnia enim profectò tum sævissimis agitata procellis, & Suis penè evulsa, & convulsa sedibus Symplegadum instar movebantur; inter se concurrebant, in mutuam ferebantur perniciem, Privata Publicis, Imis Summa miscebantur, Iura divina, & humana violabantur. Unde secutum, & consecutum Tempus; Saxonica Familie acerbum, luctuosum Germanie Omnibus Bonis, & Pijis grave; ad eò, ut in illo ipso Salus ipsa eos servare vix potuerit. Occupabantur enim, & expugnabantur opulentissimæ Vrbes; diripiebantur, & eripiebantur fortunulæ Bonorum; ipsi aut pellebantur, aut mactabantur: Antiquissima & religiosissima Tempia spoliabantur partim; partim inflammabantur; partim dejiciebantur: quæ non dejiciebantur, in iis ea patrabantur, quæ nulla Barbaria velit agnoscere, nullus Oceanus possit eluere; nullus Hominum sine quâdam Horroris querquerâ valeat commemorare. A recordatione enim Animus fugit; à Commemoratione Lingua auffugit; ab Auditione Auris refugit. O nimum, ô nubem Temporum illorum acerbam, & amaram! cum de Legum Auctoritate Sceleratorum triumphabat Audacia; cum Pietati Vitrix insultabat Impietas; cum tremefactis Omnibus Bonis; & Optimo quoque non optima metuente, volitantium huc illuc,

& in publicis Ruinis bacchantium *Improborum* voces undique insonabant, undique intonabant. In hoc *Malorum* gurgite; *Bellone* vortice, plura fecisse, majora effecisse *Se εὐσεβείας χάριν* quàm quemquam Alium ex omni *Memoriâ* Maximatem, verè, ac meritò gloriari potest JOHAN-FRIDERICUS. *Hostis à Suis* juvabatur; ab *Alienis* adjuvabatur: Hic & à *Suorum* Nonnullis, & *Alienis* dejuvabatur. *Hosti*, si vinceret, proposita erat præter *Gloriam* *Potentiae* amplificatio: si vinceretur, erat quò se recipe-
 ret: *Huic*, si vinceret, spectanda strages *Suorum*, si vinceretur, (uti, cheu Dolorem Nostrum, victus est) ditio, & dignitate eratarendū. Quamquàm verò *Se messes Suas*, ut dicitur, urere intellegebat: tamen, quoniam RELIGIONIS fulgor, & fulgur integrari aliter, ac redintegrari non poterat: Omnia *Sibi* ferenda; *sibi* perferenda statuebat. *Mus Armenius* potiùs Fame perit, *Siti* interit, quàm ut luto niveum Pellis decus patiatur dedecorari: Æquè *Hic Noster* extrema priùs quæque experiri; & pati voluit; quàm largiri; ut candidissimus ille PIETATIS splendor; splendidissimus RELIGIONIS Candor FOEDARETUR. Nam, cùm manus propiùs cum *Imperatore Princeps* conferret; pedem conferret; quàm infestæ, & funestæ faces in *Ejus* coniecta sunt tentoria; globi in munitissima castra ejecti, flammæ in totam supellectilem projectæ? O Rem cùm *Visu* crudellem, tùm *Auditu* nefariam! quam si non gestam, set pictam videremus; non factam, set fictam legeremus: tamèn Omnia *Muta*, omnia *Inanima* tamtâ atrocitate necesse sit commoveri. Jacebant in viis mediis tot infepultorum acervi Corporum; *Senes* cum *Pueris*, *Viri* cum *Fæminis* promiscuâ Cæde trucidati: quorum *Alijs* abscissa membra; aliis rescissa Capita ad *Impurum Romanorum Purpuratorum Gregem* in triumphum mittebantur. Quàm quidem in Strage tamti VIRI interfecti sunt; ut Gladii ipsi, & Mucrones *Militum* contremuisse *Mihi* videantur, cùm in tam augustis corporibus figerentur. Tandèm, *Belli* finis hic fuit: *Causæ Bonitas* ab hac parte nostrâ: *Ferocula Regina*, *Fortuna*: & *Rerum Domitor Mars* ab *Imperatore* steterunt. Quippè, cùm & *Ipse Archistrategus* JOHAN-FRIDERICUS in pugnâ, & *Copiarum*

Came. Emb.
LXXXI.

piarum Suiarum fugâ oppugnatus, captus, & interceptus fue-
 rit; ac tamtùm non, accepto vulnere atroci, interfectus. His
 verò *Miseria* vinclis vinctus, his *Angustiarum* tricis intricatus, &
Dignitate spoliabatur, *Libertate* privabatur, & *Possessione* exueba-
 tur; modoque ad *Imperatorem* ducebatur; modò in Vincla, &
 tricas suas reducebatur; & ad *Exteriorum* ludibriũ traducebatur;
 atque in *Omnium Sceleratorum* triumphum circumducebatur.
 Ah! quæ hîc iterum prolucebat *Constantia*? quæ prælucebat
Prudentia? quæ elucebat *Pietas*? Nec enim tùm à *Religione* abduci
Victoris potuit promissis, nec abstrahi minis: se in eâ ità obdu-
 ruit; ut quod de *Termino*, & *Iuventute* narratur, *Iovi* ipsi regi no-
 lentibus cedere; id de illo, terreno huic *Iovi* cedere nolente jure
 usurpari possit. Non enim commiserationem *Ejus* petebat,
 favorem expetebat, Amorem ambiebat. *Constantia* hoc fuit.
 Suam deinde *Ditionem*, *Seq̄, Ipsum*, ne cum *DEO*, & *Fortunâ* perti-
 naciter pugnaret, *Victori* permisit. *Prudentia* hoc fuit. Ad
Castra prætereà *Caroli V.* per mediam *Hostium* turmam raptus,
 tractus, voce singultibus crebris interruptâ has ad *DEUM* *Voces*
 fudit; has preces effudit: *Miserere MEI DOMINE: Nos sumus jam*
hic: quasi hoc vellet: *Quid occipiam; nisi ad TE, DEUS, me con-*
vertam. Eò *Cimbula Salutis meæ* jam est compulsâ, ut nisi *Tuâ*
Curâ tegatur, *tuâ Ope* protegatur, *Tuâ Aurâ* regatur, *Tuâ Providentiâ*
 ad *Felicitatis* portum dirigatur; *Spes* *Omnis* sit perdita, cassâ, ina-
 nis. Et hoc *Pietatis* fuit. Atque hâc viâ amiserat tunc ad *Tem-*
pus hunc *Patrem Patria*, hunc *Patronum Religio*, hanc suam *Glo-*
riam Pietas, Constantia, Prudentia. Quod ubi increbesceret; ac,
 (nam *Fama* pernix *Diva* est, & tamtò se librat ocyus, quò pe-
 jora, quæ nunciet, habet,) percrebesceret; qui tùm plangor
Omnium, quæ complorationes, quæ lamentationes erant? *Alij*
Sibi scindere capillum, *Alij* lacerare genas, *aliij* pectus & hume-
 ros crebris ictibus percutere; *aliij* abduci *Amores*, ac *Delitias Ger-*
maniae, *aliij* cadere *columen Religionis*, *aliij* *Scholarum præsidium* conci-
 dere, *aliij* alia, quæ diversis diversa non diversus ministrabat *Do-*
lor, queritari. Quæ querellæ cum ad *Aures* quoque *Principisse*
 perintrarent; quos *Illam* in luctus conjiciebant? quàm ingen-
 tes Ani-

tes *Animo* Ejus dolores conciliabant. Vidisses *eam* Currentem; vidisses hinc indè discurrentem, lacerà veste, disjecta comâ, collutulatâ facie, elatis complicatim palmis: Vidisses *Eam* *Dolori* remedium, *Angustiis* portam, *Fato* viam quærentem.

Tamta Illi est feritas; tamta est insania luctus. Jam prona ad terram procidere, jam adsurgere conata rursùm corpore nutanti recidere. Jam scindere crines, jam pulsare ubera, jam fœdare caput pulvere; jam suavissimam, nec tale quid meritam *Vultus* Speciem inimicis unguibus lacerare: Mox anhelum ducere, spiritum; mox palle fieri, mox omisso verbo, demissis oculis deficere, & *Signa Mortis*, quàm *Vitæ* plura edere, ostendere, ita, ut illis, qui *Lugenti* Solatio, *Deficienti* remediis succurrebant, spem ferè *Vitæ* omnem labefactaret. O *Fortunam* perversam! ô invidam! ô inhumanam *Humano Generi*! Sicnè *Tibi* licitum; ut in tantum *Heroa juris* Dictaturam capesses; *Eumq;* non abduceres; set abriperes, ac tantùm non absorberes? O insignem *Tuam*, ô barbaram *feritatem*! cujus imperum neque *Ille* innocens potuit deprecari, alii nocentes adipisci. Scilicet, in *Illum* grassata es, & debacchata, qui maturè providebat, ut *Te* divini *Animi Libertate* superaret. Set *Ego* *Te* crudelis *Fors* non adpello amplius: *Ille*, qui *Vires*, & *Virus* *Tuum* fuit expertus, sine *Te* sic adpellet, sic compellet: Quid est *Improba*, quod hoc *M I H I* *Dignitatis* ædificium pulcherrimum exstruxisti, ut destrueres citiùs? Quid vis *Tibi* *Scelestæ*, cur aut ità me extulisti, ut deprimeres, aut ità depressisti, ut non attolleres? Quæ *Mihi* facta est denunciatio, quod *humanâ* conditione contingere solet, ut hanc *Scyllam* vitarem; hanc *Charybdin* evitarem? Prævenit *Calamitas* nuncium: prævertit metum; occupavit *Prudentiam*; exstinxit *Consilia*, quibus *Casus* isti declinari convevère, ut non expectatam *Miseriæ* molem meus æquaret *Scupor*. Quemnam igitur *Æquanimittatis* portum parârim *Mihi*? quod finxerim profugium? quod fixerim refugium? cui tam vastus, tam repentinus *Malorum* imber exstitit, ut per Sese miserum naufragium omnium miserrimum fecerit. Atque equidem, quamquàm *Meipsum* firmitèr, & virilitèr erga *Doloris* *Astum*, ac *Astum* firmandum censeo, & obfirmandum; nolo tamen non
hærére

hærére *Mibi* memoriam amissorum *Viscerum meorum*, *Conjugis*, & *Liberorum*. O crudelissima *Bellua*, quibus *Te* armis jam arceam? quibus limitibus coërceam? quibus *Beneficijs*, quibus *Officijs* demerear? Quid agam? quid inceptem? Vincamne *Te* sponte meâ morte *Dolorem* delens, atque, ut ne Super sis *Tu*, *Ego* desim potiùs? An exuam togam *Pietatis Oblivionis* pertinaciâ, ut *Tua Castra* evadam? Verùm audebis & hoc *Mibi* obgannire; *Ingratum Animum esse Meum*, quòd non agam, non habeam, non referam *Gratiam* pro eò, quòd dedisti? Ergone *Mibi* ut malè faceres, benè fecisti? Quis *Te* *Pœnitentiæ* repulit *Ventus*? Quid egi, cum hoc supplicio *Tibi* videor dignus, quòd *Carere Libertate*, *Carere Dignitate* nuncupant? A. Me crebris adpetito *Calamitatibus*, expetito *tempestatibus*, oppresso *ruinis*, *Te ipsam* irrisam, lusam, illusam, spretam, victam sæpenumerò vidisti, despectam semper doluisti. *Te* credo magno *animo*, sed majore *infamiâ* jam ultas. *Libertatem* enim, & *Dignitatem* obferendo si *Tu* *Beneficij* in loco ponis, auferendo quid *Tibi* nominis impones? Responde *Mibi Fera*: Non potes. O miserriam ergò luctam *Animi mei cum Fortunâ*! O miserriorem cum *Seipso*! quoniam hoc quoque secum habet decernendum, ne amare liceat, cujus causâ *Mortalem* ipse hanc adamavit *Vitam*. O quis me antea tot invictum monstris, nunc verò *Fortune* objectu à priore *PIETATIS* retardatum cursu restituat in pristinam *Sedem* *Consiliorum* meorum, quibus, & *Mibi*, & *Alijs* vir esse meminissem? Ea siquidem *Animi* commotio cietur è tam repentino *Libertatis* meæ excidio; quâ salvâ, *RELIGIO* erat salva, quâ incolumis, *PIETAS* erat incolumis. At nihil profunt hi *Dolores* mei; at prodest *Mibi* *Memoriæ* *Meæ* libertas amissarum *Rerum* *Mearum* aliquam saltim speciem tenendi, ac retinendi. Etenim, si *Tibi* servum hoc est *Corpus*: quòd reliquum est, *Animus* sanè meus de *Te* ut dicam, & ad *Te* dicam, liber esto; licèt vix reliquum sit, quòd dicam. Dico tamen, *FORTUNA*; si hoc per *Te* commissum est, si hoc es commenta, ut me perderes, age & hunc integrum de me *triumsum*. Quæ enim *Spes* ut velim vivere, me capiat ampliùs debilitatum, desertum, dejectum? Aut cujus in sinu

C

acer-

acerbissimi *Doloris* fomenta, immanissimam *Calamitatis* memoriam deponam? *Temporis*ne? At ejus *Persidia* nota est Omnibus; Deponam in *Exteriorum* solatiolis? At qui *Vulneri* medeantur; cujus non notam habent immanitatem? In meane *Sapientiâ*? At in *Homine Mortali* quæ umquam tamta inventa est? In mea-
ne *Patientiâ*? Quippini? set eâ *Patientiâ*, quæ *Pietate* benè est fermentatâ. Hoc etenim ago. Nam neque sicariam *Vitæ* inferre *Manum Mihi Animus* est, quamquàm non deesse possit *impetus*: & quamquàm *Me Mihi* subfuratus est *Dolor*, non tamen destituam, non desinam *RELIGIONIS*, & *PIETATIS Socios* composito vultu solari, & roborare *animo* non ficto, set invicto. Utporè præter *Hunc* nihil superest, cui universum *Rerum Mearum* onus, pondusque incumbit: quem, *Fortuna*, non contra *injurias* tantùm, set & *favorem* tuum obdurabo. Itaque age in me pro lubitu rape, trahè, sterne quò voles, quomodo voles: mea tamen erit *Pictas*: me sola eripiet his angustiis, sola *Dolore* eximet, Sola *vincula* demet; quidquid etiam *Homines*, quidquid *Tu* infensior periculorum fabricare *Mihi* conaberis. Non concedam, neque quiescam noctu, neque diu priùs profectò, quàm aut *Ip/am*, aut *Mortem* investigaro. His *Te*, *Fortuna* compellat *HEROS INCOMPAR:* his *Te* victurus, His de *Te* triumphum est acturus, atque exacturus.

Videtis ergò *COMMILIT.* Ortu & Arte florentissimi *Principem* submissum, ut pateretur *Ambitionem* videtis magnanimum, ut contemneret *Furiam*; videtis patientem, ut subiret *Invidiam*, videtis fortem, ut vinceret *Carcerem*: In quo *Carcere* quamvis mirum sæpè in modum, rebus penè in extremâ tegulâ stantibus à *Summo illo Mundi Dictatore*, ac *Imperatore*, qui *Omnes Hostium* insidias, omnes clandestinas *Inimicorum* molitiones de excelsâ tamquam *Cæli* speculâ despectabat, servatus est, & adservatus: Verissimè tamen *Vox Cypriani* illi conveniat: *Non Animum martyrio*, set *Martyrium Animo* di fuisse. Quamobrem, ut *Phosphorus*, aut *Hesperus* reliquos *Radiantes Dios*, quibus hunc *Mundi* clypeum sudâ tempestate, & serenis noctibus

Stibus cælatum visimus, & videmus, *Splendoris & Fulgoris* purpurâ excedunt, & præcedunt. Ita hic *Religionis Phosphorus*, *Hesperusq;* *Constantiæ* radios in perferendâ *Calamitate* sparsit; *Pietatis* stricturus in proferendâ *Salute* latè, & longè dispersit. Nam sicuti *Phosphorus Solem*, cum illis, qui adversa *Nobis* vestigia urgent, caput suum abdit, *Nobis* adesse, tamquam *honorarius* quidam *Arbiter* indicat: Sicut *Hesperus*, cum *Ille Diei Opifex Antipodibus* radios suos aperit, *nobisq;* vicissim occulit, tenebras *mundo* jam inductas sui *Splendoris* face collustrat, illustrat; & in *Noctis* vario *Errore Solis* functionem obit: Ita hoc *Religionis* relucescentis *Sidus* in *Lucis* extincto lumine *Mundo* prætulit *Lucem*; & *Vitæ* in lætiferis necessariam, & *Vitæ* in sinuosis certam, & *Verbi* in dubiis veram, & *DEI* in tenebricosis maximam.

Jam, COMMIL. quid ad hoc *Opus Thebæ* septem insignes portis? quid *Mausoli* sepulchrum? quid *Pyramides*? quid *Colossi* æ immensum? quid *Delubra* mirâ magnitudine structa, *Arte* eleganti constructa, maximis impensis exstructa? Ea jam *ruta, cæsa*, & præter vanam, & profanam quamdam *Gloriola* *Umbram Immortalitatis* nihil præ se ferunt. Hoc, hoc *Pietatis Decus* stat perenne: hoc, hoc inter cætera caput jure effert,

Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.

Virg. Ecl. 1.

In gubernandâ *Reipub.* *Navi Duo*; nisi fallor, maximè *PRINCIPIS* oculis exposita, & *Animo* proposita esse debent; ad quæ *Consiliorum* *Cursum*, sicut *Palinurus* in navigando ad portum, eat directum: *PIETAS* scilicet & *TRANQUILLITAS*. Quæ *Duo* præstare non postremi est *Gubernatoris*; Ea verò simul complecti *divinæ* cujusdam, & excellentis est *Virtutis*. Et, ut alterum, *Tranquillitatem* videlicet, hic, dum pro *Pietate* sub *Pietate* verba facio, relégem; alterum, *Pietatem*, maximam in viro, qui cum *Republicâ* est, laudem esse contendo. Hujus *LAUDIS* possessionem, quin *SANGVINE* *Suo* sibi pepererit, partam tutatus fuerit (quippè cum *RELIGIONEM*

nemo acriùs defenderit, nemo studiosiùs extenderit) JOHANN-
FRIDERICUS, quis est qui aufit dubitare? Ille enim, qui PIE-
TATIS, & CONSTANTIAE gloriam ita deperisset, ut ipsa Ea-
rum Virtutum nomina, in *signum, & symbolum*, gestaret, ac circum-
gestaret, omnia *Sibi* priùs mœrorum pocula exhaurienda du-
xit; quàm quidquam committendum; quo Earum alterutra,
vel minimâ ex parte luderetur, aut læderetur. Quare his gradi-
bus ad *Astra* usque adscendit; his non solùm supra eorum, qui
nunc sunt, *Hominum*, ac *Heroum*, set totius *Antiquitatis* gloriam con-
scendit. O dignum Omnium *Seculorum* *Memoriâ Principem*;
qui *Eisodium*, & *Exodium Principatus Sui* in *Religione* constituit!
Hujus *Actiones* si cum Omnium *Aliorum Ducum*, ac *Principum* ge-
stis, & factis conferrem, istarum splendore sic obruerentur, ut
Alij juvisse *Rempubl.* *Hic* servasse: *Illi* defendisse *Pietatem*; *Hic* consti-
tuisse: *Illi* humana quædam, *Hic* divina, & *Immortalitatis* opera
gessisse putetur, ac reputetur. An verò *Numa Pompil. Roman. II.*
Rex ob constitutam, ac institutam quamdam *Religionis Varieta-*
tem, & *Vanitatem*, hoc seculo nomine consecratus est ad *Memo-*
riam Hominum Sempiternam? Sanè *nostri Principis*; qui *Principum* olim
fuit *Aquila*, *Anima Pietatis*, adorem nullæ unquam delebunt *Ob-*
livionis aquæ; qui non *falsorum*, non *multorum Deorum* cultum, set
unius DEI Invocationem, non *Mendacem Superstitionem*, set *Vera-*
cem Religionem, non *Tenebras*, set *Lucem*, non *Mendacium*, set *Verita-*
tem induxit, inductam stabilivit, stabilitam defendit. Jactaba-
tur; (quod toties accepistis, percepistisque) *Religionis Navicula*,
ceu tremuli in fluctuantis *pelagi* fluctibus *Halcyonum* niduli; nec
portum videbat ullum: nec carebat *Sinonibus*, qui clam medita-
rentur flammam, nec *Centauris*, qui palam oppugnarent. Quis
hic fuit *Aeneas*? Nullus; nisi noster hic *Tibicen* *Maximo* major;
qui jactatam *Religionem* sistebat; furentis *Boreæ* flabra excipie-
bat, qui desertos tuebatur *Penates*, aras defendebat, & pro *Suâ*
Trojâ, ceu pro *Pullis Pelicanus*, certabat, ac decertabat. Profectò,
obruor exemplis *Eximiae Pietatis*; quocunque *Oculorum*, *Animiq;*
verto cursum. Prodi jam *Tu M. Antoni* inter *Priscos Romanos*, qui
ab *Amore* tantùm *fraterno Pietatis* nomen superbè adsumpsisti,
Prodi,

Prodi, inquam, vide, fatere, hîc Te Superatum illo ipso, quo gloriaris; fatere, & *Agnominis Tui sertum* æquo animo *Vertici Principis nostri* concede. Exi & Tu *Curti*, qui *Vitâ Tuâ* amplissimam illam *Voraginem*, quæ ipsum *Aërem* infecerat in tantum, ut maxima inde oriretur *Pestis*; placâsti. Exi, ad fatere *Tuæ Laudis* vallum superatum, aut si non superatum, saltem conscensum à *JOHAN-FRIDERICO*; qui pestilentissimam *Esaviticæ Pestis* præsentissimæ *Voraginem*, quæ non *Unam terræ partem*, non *Unam Urbem*; set *Omnem Orbem* infecerat, & jam interficere cœperat, *Pietate suâ* sedâvit, abolevit. Redi *Fabrici fortissime Romuli Nepotum*; qui ingens *Auri* pondus, quod mittebat *Tibi Pyrrhus*, magno animo respuisti: qui, cum *Elephantum* maximum, ut ignaro *Tibi* barriens subito adpareret, *Idem* submittebat, respiciens, ridensque dixisti: *Me verò nec Aurum herè, nec hodiè Bellua fecit attonitum*. Redi, dico, & confitere parem *Tibi*, aut etiam Superiorem *Hunc Saxonica Gentis Nepotem*; quem neque blanda verba, & magnifica promissa mollire, neque minæ terrere potuerunt: qui quò majori in periculo versari intellegebat *Pietatem*; eò fortius *Animum* colligebat, multò plus *Vitæ* prodigus, quàm *Pietatis*. In medium quoque *TE* conferè *Vett. Græcis Codre*; quem tamtopere mirantur *Athenæ*; quòd sumto *Mendici* vestitu; non *mori*, ut cum *Lyrice* dicam, *timidus*, *Te* ad *Hostes* contuleris; iisque trucidandum obtuleris. Sileatis *Athenæ*, *Codri vestri Pietatem* in *Patriam*, albis antecedit equis *Pietas* nostri *JOHAN-FRIDERICI* in *Religionem*. In *Theatrum* *Te* refer *Ulysses*, quem *Constantem* celebrant *Fabula*, quòd utramque *Tibi* aurem, ne *Sirenum* vox tamquam mentis lena, labesque influeret, oppleveris. Taceatis *Fabula*. Constantior fuit *JOHAN-FRIDERICUS*, qui *Hæresin* audivit *Sirenem*; & contempsit *Sirenem*; hoc est *Hæresin* audivit svavitèr tinnulam, & contempsit fœdè meretriculam. In *Solem* *Te* profer *Hercules*, quem *Æternitatis* *Albo Auctorum Monumenta* inferunt, ac inferunt, quòd viribus tantum *Corporis* egregia *Tua*, & regia patrâsti facinora. Conticescite *monumenta*; Secede *Hercules*; & *nostro Herculi* tantum cede; quantum *Animus* *Corpori*, *Minerva Marti*, *Humana Divinis* cedunt. *Tu* quidem *Augiæ* purgâsti *Stabulum*:

lum: Hic verò Heros Αλεξίμαχος squalorem, & fordes Religionis expurgavit. Tu pervigili interemto Dracone aurea ex Hortis Hesperidum mala decerpisti: Hic verò contemto Leone Romano è Paradiso Verbi Cœlestis fructus toti Orbi concerpfit profuturos. Tua Clava monstra penè innumera delevit: Hujus Pietas Superstitionis illa feracitas, & furacia portenta abolevit, quamtoque plura Harpyarum, aut Hydrarum accreverunt capita; tamto plura lancinando amputavit. O DEUM immortalem! tamtane Vnius Principis fuit solertia, ut Religioni Lucem aperiret, Luci verò isti fenestram reperiret, ac repararet? De Theseo Atheniensi fertur, & ab omni Scriptorum Choro circumfertur, quòd, cum in Cretam Insulam delatus Minotauri trucidandi gratiâ perplexos, ac inflexos Labyrinthi amfractus ingrederetur, monitu Ariadnes filum Januæ adligarit, Ejusque ductu, re benè gestâ, Mortis discrimen declinavit. Haut secus sanè hic Theseus Teutonicus, Monstrum illud horrendum, ingens, Minotaurum Romanum truncaturus, Pietate Duce, Comite Constantiâ per nullas non discriminum ambages, per nullas non vinclosum tricas sese penetravit. O Beatos supra omnes Beatos, quibus hunc Pietatis instauratorem; Religionis restauratorem; Superstitionis profligatorem, Oculis, auribusque usurpare fuit licitum! O quis per altissimas Athonis Caucasique nives, aut per ferventes Lybiæ arenas iter facere recuset; modò si hujus Germaniæ Phœnicis conspectu se fruiturum speret? Antiqua Sophistarum Turba Arabiam Suo Phœnice gloriantem ludebat, & omni irrisione deludebat; quasi sola Græciæ aut habuerit, aut potuerit habere Phœnicem, Alexandrum nempe à Robore Animi Magnum. Ingeniosè hoc quidem ad colligendam gratiam, set ad rei notionem falsò; cum Germaniæ etiam à Sole, qui Solum Græcum percoquit, longissimè remota quomdam Nobis Hunc ediderit Phœnicem, JOHAN-FRIDERICUM, Quò magis durum est, & durum, obviare hinc quædam Monstra dentata, quæ Illustrioris Nominis ruinâ gradum Sibi ad laudem Suam, imò labem factura, JOHAN-FRIDER. quoque Electorem, si Dÿs placeat, malignè insectari, indignè tractare non verentur: quod tamen sine commotione videre, audire sine adfectu, & sine

tedio

tædio intellegere potest nemo. Videor *Mibi* etiamnum au-
 dire *Saturnios* aliquos *Homullos*; qui *Vilviro huic Pietatem*, quæ in *Eo*
 summa erat, auferant; *Constantiam*, quæ insuperabilis, subver-
 tant, *dignitatem*, quæ inviolabilis, contemnant, *Auctoritatem*, quæ
 immarcessibilis, imminuant, *Honorem*, qui inculpabilis, fugent.
 Videor *Mibi* nunc videre quemdam è *Jebusitarum* Antro prore-
 pentem, ac ruptis repagulis prorumpentem, *Principemq;* nostrum,
Veritatis adsertorem, *Pietatis* vindicem *Inobædientia* erga *Principum*
illum Principem Carolum V. accusantem; & *Criminis Majestatis Lesæ*
 damnantem. O *Hominem*; (si non *Monstrum* potius *Homi-*
nis) frontis imprudentissimæ & impudentissimæ. Quæro ex *Te*
Bipedum Omnium, quod *ille* dicebat, *postremissime*, in *Gente Tuâ* nec
Avum, nec *Proavam* habens; & hoc, requiro ut dicas: num
Aures magis *Hominum* mandatis quàm *Hominum Opificis* sint pate-
 faciendæ? num *Imperatori* magis ac *Dictatori terrestri* quàm *Cæ-*
lesti Earum ædes vacivæ sint concedendæ? Ego verò æstimo in
 meam *Te* manibus, pedibusque ire sententiam, & sic existimo;
 magis *Hominum Opifici*, quàm *Hominibus*; magis *Cælesti Imperatori*,
 quàm *terrestri* hunc *Obædientia* cultum habendum esse & exhi-
 bendum. Quid grunnis ergò; & rhonchos *spias* *Esavi de Grego*
Porce? Ubi *Jecur* tuum *Logisticum*; & quasi *Eudoxi* *Sapientia*?
 Nam & universi *Orbis* suffragium suppetias *Mibi* advenit; & hoc
Suo tamquam *Ore* pronunciat:

Sunt Sua Principibus, Sunt Sua danda DEO.

Quid? quòd *Septem. vir* *JOHAN-FRIDERICUS* *Imperatorem* *CAROL-*
LUM omni *Spavitatis*. & *Officij* genere complexus est, tantumque
 detulit, quamtū aut *Majestati* debuit; aut potuit *Auctoritati*. Cū
 autem ageretur *CHRISTUS*, cū *Religio*, cū *Patria*, *Animus* ma-
 gnus, & fœtus amore *Cæli* non cogitavit *contra* quem, set *pro* quibus
 pugnaret. Et tamti est, uti benè, & quod primum est omnium,
in tempore Animi Sui robore! *In Fide* equidem, & *pro Fide* benè,
 & generosè. Verùm, quod *Herculi*, quomdām usu venisse scri-
 bitur, cū *Hydrum Lerneam* vellet extingvere, ut, unum si
 resecuisset *Caput*, alia plura subnascerentur: id ipsum *Mibi*
 obtingere manifestè sentio; impatientè fero jure deplo-
 ro. Proruat enim iterum ex eadem *Caveâ* dehonestamentum,

quod-

quoddam *Hominis*; *Terraq;* *Piaculum*; quod *Martis* infesti, *Fortunaq;* infaustæ iras, ac minas, *Animiq;* fracti angustias *Principi*, in negotiis aliàs laboriosissimo, in periculis fortissimo, in aggrediendis Rebus diligentissimo, in providendis sagacissimo, in conficiendis celerrimo obtrudit. Sicnè agis *More* morose? sicnè *Te* inanis *gloriola* gargarismustitillat; ut, cùm *Mirio* esse debeas; singulari *μῆτις* transmuteris in *Morionem*? Age; Largiar *Tibi* *Martis* infesti, *Fortuna* infaustæ aliquamdo minas, & iras; *Animi* verò angustias, numquam erit, ut *Tibi* elargiar. *Nam*, non hic dicendus *Fortis* tantùm *Animi*, & *Felicis* est *Homo*, qui quosvis in hostes inruit; qui quibusvis *Voluptatibus* circumfluit: Set & qui *durissima* quæq; *Sibi* τῆ καλῆ ἐνεκα patienda esse, ac perpeti-
 enda autumat; nec clypeum, si est *Occasio*, abjicit; nec *Animum* demittit. Ac *Fortis* quidem *Animus* ad *Victoriæ* adorem magis fuscitatur, quò duriori *Certamini* se videt expositum ac oppositum. Quare etiam *JOHAN-FRIDERICUS* non *Copijs* maximis, set solo *Pietatis*, & *Constantiæ* clypeo munitus, alacri *Animo*, blando *Vultu*, *Facie* lætâ, reninenti *Ore* sese telis *Eorum*, qui nihil, quàm *bella* spirabant, ad *arma* adspirabant, objecit; *Hostibusq;* non quidem *ferro* vitam, & spiritum eripuit: set *Animo* ipsos fregit, repressit, elisit. *Victus* vicit, *prostratus* surrexit, & *abjectus* *Hostem* spoliantem, jamquæ exultantem evertit: *Arma* precibus, *Audaciam* *Virtute*, *Furorem* *Patientiâ* abegit: *Astum* *Consilio*, *Temeritatem* *Sapientiâ*, *Pertinaciam* *Constantiâ* subegit. Quod fecit, ut in mediis tempestatibus *Securus* secundo cursu mare placidum navigârit, majorique sibi adscriberet laudi, quòd *Fortunam* vicerit, domuerit, quàm quod *Victores gentium* Superârit. *Gubernatorem* *COMMIL.* probamus illum, qui, ingruente magis *Tempestate*, vires experitur omnes, ut à *Scopulis* navim tueatur; non, qui *Clavum* abjicit, aut *Animum*. Cur illum reprobemus *Principem*, qui in ipsâ rerum confusione non confunditur; non contunditur: set si *Mars* intonet, si *Catiline*, si *Cethegi* omnia quatiant, concutiantque, instar *Alexandri* omnem excipit metum, omnem recipit motum; *Curasque* *Hostium* adversas non curat? Aptè, & altè *Romanus Sapiens*, *Ille*, dicit, *magnus*, & *nobilis* est, qui more *Magnæ Fera*
 latrat

latratus Canum Securus exaudit. Itaque Invidorum convitiis Heros
 noster proscindebatur? mussavit. Inimicorum injuriis petebatur?
 non sustinuit tantum, sed superavit. Fortune Calamitatibus
 premebatur? Eas fortius repressit, quam presserunt Ipsum; vi-
 vumque Pietatis Suae simulachrum expressit. Sciebat enim Prin-
 ceptis Divinus, Prosperitatis Suae contextum Aerumnis immisis à Deo
 diffindi: Sciebat nos Homines istis natos Aerumnis, & destinatos;
 ideoque & prospera & aspera omnia Seipso minora arbitrabatur,
 iisque tantum Bonis, quæ ab Herâ sorte, nec conferri possunt,
 nec auferri, gloriabatur. Non nesciebat fortunatam Fortunam
 Virtutis esse Novercam, non Matrem, & Beatulis Suis sic favere, ut no-
 ceat, sic in viâ obsequi, ut in fine persequatur. Gaudium siqui-
 dem plerumque manent lacrymæ; & modò hic floret, modò vi-
 vit hic Tyrannus: set moxvolvuntur in sanguine Purpureæ Ejus, &
 auratæ Vestes. Scilicet, ut Echêis Prætoriam AntonI in Bello Actiaco,
 aliasque ingentes, & plenis currentes velis naves sistit, & adhæ-
 rendo ita retinet, ne ad portum veniant: ita Homines Secundus
 Fortune adfluxus retinet, detinetque in viâ, ne ad Virtutis portum;
 & Felicitatis Suae terminum adpellant. Et hoc nobilissimis pa-
 lam factum est Exemplis. Quis in Historiarum viretis ita est pe-
 regrinus, ut ignoret, Syllam, qui adeò albæ Gallinæ erat Filius, ut
 Felicis cognomentum adoptaret, & Sophocleum illud jactaret:
 Εγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω: tandem à Pediculorum exa-
 mine fuisse exesum? Quis nescit, Polycrati Samiò, severo illi Insu-
 larum, ac Litorum Tyranno Felicitatem suam exitio fuisse? Quem
 fugit Dionysius ille in Sicilia Rex; mox infamis, extorris, inops, à
 sceptro, (quis credat?) ad ferulam devolutus. Ille enim magnæ
 Insule Rex ludum Corinthi aperuit; ipse Fortune verus ludus.
 Quem latet Caesar Superbus ille Victor; Opinione suâ, & alio-
 rum jam Deus, in Senatu, & à Senatu interfectus, nec simplici
 Morte, set XXIII. plagis confectus; instarque feræ Sanguine
 suo infectus, atque (quid amplius vultis?) in Pompei Curia, su-
 perstante Pompei statuâ, magna Victimæ Magni Manibus paren-
 tans? Quis contrâ non meminit, quamtæ Hominum Cohorti in-
 felicia omnia, quæ Æterna illa Mens suggerebat ipsis, atque in-
 gere-

gerebat; feliciter cessisse? Rerum namque adversarum *Casus* *Hominem Fortunæ* indulgentiâ numquam remissiore ad sese redire, & ut sic loquar, in numerato & procinctu stare compellunt. Et ut *Natura* nullam rosam non circumdare solet spinis: ita *DEUS* lætis miscere tristitia; ne *Sui* Memoria, ne *Sui* Gloria apud *Suos*; id est, *Pios Oblivionis*, ut illud *Comædiarum Parentis* usurpem, in a quis scribatur. Sicut enim *Athenienses* non nisi *Atrati* de *Pace* cogitabant, ac consilia agitabant: Ita *Homines* in *DEI* memoriam vix redeunt, nisi in *Ærumnis*, quæ dum premunt, ad *DEUM* viam muniunt. Et accedit, quòd *Mortale Seculum* ab *Impietatis* tabe, & labe sic præservetur. Quemadmodum namque providus, prævidusque *Paterfamilias* *Cibos*, carnes per *Æstatis* æstum servandas sale condit, locòque in frigidiore, ne putrescant, recondit: Ita, ne *Vitiorum* sanie situm in *Mundi hujus* æsta contrahamus; muriâ *Nos DEUS Miseriarum* non leviter imbuit, set acriter perfundit. In primis verò; quia *Bonorum* robur, & *Patientia* in *Cladibus* velut lumen quoddam est tenebroso *Huius Mundo*. Vocant siquidem exemplo suo ad *Eadem Alios*, & veluti limitem signant, per quam eant, transeantque. *Bias Bona & Patriam* amisit? set inclamat etiam hodiè *Mortalibus*, ut *Omnia Sua secum portent*. *Regulus* inter tormenta periit, set vivit præclarum illud *Fidei* exemplum. *Papinianus* ille à *Tyrannocæditur*; set *Securis illa Securitatem* imprimit *Nobis* pro *Iustitiâ* moriendi. Denique tot selecti *Cives* per vim, & injuriam pulsi sunt, aut interfecti! Set è rivis illis *Sanguinis* cottidiè bibimus *Virtutem*. Præclarè itaque, imò præclarissimè faciunt, qui *Fortunæ Blandientis* suspectam, despectamque habent *Fidem*; & in *Casu Prospero* à *Casu Aspero* sibi timent; atque, ut est apud *Comicum*, cum fecundæ res sunt maximè, tum maximè meditantur secum, quo pacto adversam fortunam ferant. Sedit hoc quomdam *Animo Philippi Maced.* qui pro multis, pro magnis bonis levi quòdam malò ut adficeretur, porrectis in *Cælum* manibus *Deos* comprecatus fertur. Idem quoque sedisse *Animo Principis nostri* omni laude, & invidiâ *Majoris Pietas* *Ejus* dicit, *Patientia* indicat: *Hic enim cum statueret, cum Dignitatis fastigio, ad quod per Vir-*
tutis

Scalam adscendit, proximè *Præcipitii* ruinam esse conjunctam: multosque *Mortalium* aut *Prosperitatis* turbine, aut *Adversitatis* vertigine corruisse; Volubilem *Fortunæ* rotam trabali clavo defigere studuit; ne ipsi volubilitate suâ noceret; *Animumq;* ita paravit, ita præparavit, ut ad quoslibet *Fortunæ* ictus, & decipiendos, & excipiendos promptus, paratus esset; nec vel attolleretur *secundis*, vel deprimeretur *adversis*. Tanatū aberat, ut ullis procellis vel fluctuaret, vel obrueretur; ut dicere solitus fuerit; *nihil Eō Homine infelicius esse, cui toto vitæ spatio nihil unquam contigerit infelicius*: quòd tam malè de eō *DEVS immortalis* cogitaret, ut illò indignus videretur, quem *Humana Sortis* admoneret; aut à quò aliquando *Fortuna* possit superari. Unde Tu Eruditionis Princeps, & ingenii, *Iuste Lipsi, in Monitis tuis rectè monuisti, Externarum Rerum fluxus Lib. 2. c. 5. non esse tesseras semper Divinæ Benivolentiæ. Divitiæ enim Vitia, εὐτηχῆματα ἀμαρτήματα, Opulentia est dementia. Quæ omnia cum non nesciret Sapientissimus JOHAN-FRIDER, minimè Animo fractus est, cum Bellonæ Eum hostibus traderet; nec Dolori succubuit, cum Fortuna in Carcerem detruderet. Idem quoque Gloriæ theatrum Eundem abjecisse haut credimus, cum Carcerem cum Libertate, Tenebras cum luce, miserias cum Honore, Angustias cum Gaudio commutaret, atque immutaret. Hoc verè est, Sese Mortalem cogitasse, Immortalem invenisse, Divinum effecisse. Audiat licèt gematque Invidia, primus JOHAN-FRIDERICE Fortunam vixisti: primus Fatum Tuum inchoasti, & Sorti extorsisti, quidquid ab iratâ impetrare non potuisti. Tibi eripere Illa non potuit id, quod non dedit; & quod Alij non habent, Tibi reliquit; Tibi cedit, Tui juris se esse fatetur; nec in Societatem Gloriæ Tue se obfert. Numquam etenim Temeritas cum Sapientiâ commiscetur; nec ad Virtutem Casus admittitur. In Heram quid juris pedissequæ? quid commercii Inconstantia cum Constantiâ? nihil profectò, vel etiam si quid nihilò minus est. Tentat, quidem, tentat Fortuna, evertendas aggreditur res Sapientum: at quid fit? Movet Illa; movendo autem; (quod in Scenâ dicebat quidam) promovet nihil, operæ precium quod fiet. Quemadmodum igitur Olympi Cacumen altius est, quàm ut in id Ven-*

torum vis, & violentia inruat, ideoque ab omni cœlesti injuriâ quietum, lætum, & illæsum est: Sic *Animus* JOHAN-FRIDERICI SAPIENTIS, in quo *Pietas* cum reliquâ *Virtutum* Coronâ domicilium fixerat, excelsior fuit Omnibus furentis, & de rebus abjectissimis humi digradientis *Fortunæ* procellis. Nam ut *Ille* non omnibus pariter dormiebat, Ita *Fortunæ* iniquitati non perpetuo domi est is, cujus animum *Pietas* armavit, *Pietas*, inquam, quæ *Cæli* Civis est, & sola *Deorum* convictu fruitur, quam avidissimè *Mens sana* amplectitur; & diutissimè cum eâ esse desiderat. Quæ cum ita se habeant; des ô *Fortuna* regna, & eripias, & in *Tuo Imperio* levissima *Meretricula* ludas, quantum voles, & ineptias; numquam illos transcendes limites, quos *Ipsa Tibi* fixisti, neque in *Bonis Animi* partem *Tibi* vindicabis. *Sceptra* auferas, quæ attulisti; *opes* dissipas, quas collegisti; & si quæris, *Cui obesse possis*; nemini, quàm *Cui profuisti*. Nolo exempla longius arcessere, neque ad *cothurnos* ire. Ad sunt, adstant *Purpuratæ illæ Simiæ*, deauratæ *Pandoræ*; quæ vel ita opibus adflunt; ut *Oceanum* prius, quàm *Harum æraria* exhauriri posse putetis. Hos verò cum *Tu Domina Fortuna* in præcipitio locaris; tamtos experimur retrò saltus facere, ut vix tamdè vestigium *Statûs Prioris* adpareat relictum. Tu enim *Fortuna* nunc rides, nunc friges. Tu *vaga* es, & *vagabunda*; Tu *cæca* es, quia nihil cernis; *Insana* es, quia *atrox* es, *bruta*, quia multis cum incommodis conflictaris. Set ne loquar *Ego*; loquere jam *Tu Franciscæ Petrarchæ*, & *Fortunæ* tuum aliquod eloquere *Elogium*; & *Mortalitatem* sic adloquere: *Nonne vides, ut Res omnes turbinis more volvuntur? Ut quietum mare tempestas turbida, lucidum manè nubilus Vesper insequitur; ut inter initia planum iter inconfragosum desinit: Sic Fortunæ insipientiam improvisa Calamitas, & lætissimæ cursum vitæ tristissima Mors claudit, & sæpè primordio dissimilimus finis est.* Set sufficiat hoc. Tu verò ubi nunc agis *Vespertilio*? quò te proripuisti *Bonæ Famiæ Hirudo*? Ecquid habes amplius, quò *Buccinatricem* FRIDERICI Principis gloriam suggilles; aut quod probabiliter obstringilles? Haut reor. Et profectò si in lucem prodis amplius, (*præfiscinè* dixerim) vapulabis. Numquam enim tam malè cum *Humano Genere* actum fuit,

fuit, ut *Pietati* patrociniū deesset: neque tantum fuit *improborum* umquam *Hominum*; ut deserta *Viri Boni* causa negligere-
tur. Si quis verò alius est; JOHAN-FRIDERICE Ornamen-
tum *Tui seculi*: firmamentumque *Pietatis*; quem neque *Tua Pietas*,
Tua Majestas deterrere potest, quin in *Obtrectatione Nominis tui*
Laudem; in *Calumniis Gloriam* quærat; non potest hic salvâ
Pietatis dignitate; quâ nitimur, quam tuemur, ferri. Quare prodeat
in medium: Nos hanc deposcimus pugnam. Nos *Tibi non Scien-*
tiam, set *Conscientiam* consecramus, & quid libet potius devove-
mus, quàm inter tot morsus *Papicolarum*, inter *Sufurros Esavita-*
rum; & sibilos *Sycophantarum*, & furores *perditorum Pietatem tuam*
deseramus. Hâc fiducia, his armis pro *Pietate* excubabimus:
hæc tela, hos gladios his *Sicariis* opponemus, quæ ut in *Corpus*
Innocentis direxisse nefas est; itâ in *Noceat* non commovisse
perduellionis crimen est putandum. Et sic JOHAN-FRID.

Semper Honos, Nomenq, Tuum Laudesq, manebunt.

Vos itaque COMMIL. *Ætate* amabiles, *Prosapia* honorabiles,
Pietate laudabiles hoc quoque agite, hoc facite; & *Exclamatores*
Pontificios τω Θεῷ καὶ μὲν αὐτῶν compescite, & *Principum* huic *Opti-*
mo, & *Optimorum Pientissimo* *Laudes*, gratesque solvite; & tam-
quam *Vindici Salutis & Pietatis premia* persolvite. Si enim *Illi* fu-
erimus *Ingrati*; *Nobismetipsis* sumus *Iniqui*. *Hujus* quippè vel *laudes*
reticebimus, vel *merita* dissimulabimus, vel *Memoriam* præter-
ibimus, *Cujus* prædicare *laudes*, *Merita* admirari, *Memoriam* ex-
horrescere *Hostes* jam coguntur *Ipsi*?

-- *O quâ Sol habitabiles*

Illustrat oras, maxime Principum!

Quò nihil majus, meliusvè terris

Fata donavère, Bonique Divi,

Nec dabunt, quamvis redeant in aurum.

Tempora priscum.

Quod Ego metrum eò libentiùs usurpo, quod id non tam de
Augusto fudisse, quàm de *JOHAN-FRIDERICO SAPIENTE* multis
antè seculis *Apollinis*, & *Camenarum* instinctu cecinisse videtur


Horatius, Lyricæ Princeps Festivitatibus. Neque verò ita ex *Muscâ*
Elephantem, ex ovo *Crocodilum* facere, & pro *Junone* *Nubem* ostendere
 Me quis putet: neque Me putet *Veri* *Fidem*, finesque egredi; atque
 e mentitas laudes, e mentita merita, e mentitam *Nostri Herois* memo-
 riam *Simonideum* in *Morem* texendo *Lingvam* venalem, meæ verò
 frontis nullam habere rationem: ut potè, cum ipsam *Veritatem*
 istorum jam angustiis *Parietum* inclusam non in *Auribus* modò,
 sed in *Oculis*, & *Animis* omnium defixerim. Insuper & hoc au-
 deo, & *Vobis* plaudentibus, & *Bonis* benè faventibus summâ late-
 rum contentione exclamare: *Si Virtutum, Pietatisq;* laudes recen-
 sere, *adulari est*; hoc sanè *Crimen* sit *Germaniæ*, sit *Europæ universum*.
 Non *Alii* ferent *Nos* prædicantes *COMMIL.*? At *Nos* tacentes
 hæc *Europæ Domina*, *Rom. Imperij æmula*; dulcissima, quæ *Nos*
 nascentes excepit *Sinu*, *Vagientes* fovit præsidio, *vacillantes*
 sustentavit manu; *desertos* lactavit *Nectare*; *Nutricula*, *GER-*
MANIA non feret. Non feret quoque *Saxonia*; non feret *Mis-*
nia; Non feret hæc *Urbs Leucoria*; *Cujus Parietes* ad venerandum
 hoc *Principis* nomen quasi exsiliunt; *Scientiarum Officiæ* ovant, *Mu-*
sarumq; *Aræ* triumphant; adeò, ut his trophæis, his triumphis nulla
 unquam sit adlatura *Ætas* finem. Nihil est *Opere*, aut *Manu* fa-
 ctum, quod non aliquando conficiat *Vetustas*. At verò *Hæc Pietas*
Principis florescet cottidiè magis; quantumq; operibus *Illius* *Diu-*
turnitas detrahet; tantùm adseret laudibus. Quæ enim tam *Sur-*
da Posteritas, quæ *Clamores* nostros admiratione *Pietatis* admi-
 randæ excitatos non exaudiat, inaudiatque? Quæ tam *Ingrate*
Literæ; quæ de *Laudibus* tantis conticescant? Sed tamdè & ad
Te, devenio *Pietas*; *Te* convenio, quid rerum egeris, quòd pal-
 mam *Tibi* in *Coronando* illo *Σείω αἰώτων Ἡρώων*, *JOHAN-FRID.*
Sapientiam præripere commiseris? *Te* quoque reliqua *Virtutum*
 rogo *Manus*, quid feceris, quod *Strenuissimum* hunc (ut hoc
 cum illo dicam) *Castrorum Tuorum Militem* sine *Rude* abire
 permiseris? An fortassè non fuerit *promeritus*, aut *Emeritus*?
 Absit. Memini quidem ab *Antiquis* prudenter videri dictum;
Non omnem Arborem, aut frugem in quòvis Agro; neq; *Omnem Virtu-*
tem in

tem in Homine reperiri. Quod tamen in Principe JOHAN-FRID. adeò se contrà habet, ut non recusem; quin, quantum de unâ *Ejus Virtute* verè detrahetur, tantum decedat Omnibus. Siquidem Eas omnes è *Caulâ* in *Aulam*, ex *harâ* ad *Aram* evocavit, revocavit; & in pristinum *Dignitatis* gradum quasi postliminò collocavit, omnibus commendavit, commendatas usurpavit. Ergò age *Pietas* & ades, ac morulam iniquam beneficio æquò compensa, *Tuoq;* detractam *Capiti Coronam*, *Capiti Illius*; qui ad *Eam* per ferrum, & flammam; per saxa & ignes contendit; impone. Agite, adeste, Vos reliquæ *Virtutes*, imprimis verò *Vos*, quas sub vexillo prius *Reginæ Pietatis* eduxi, ac protraxi, & è *Laudis Gloriaq;* *rosis* plectite, nectite, flectite *Corollam*, *Sertum*, *Laureolam*. *Corollam* plectite *Fides*, aut *Constantia*; nectite *Sertum Iustitia*; flectite *Laureolam Prudentia*, plexamque *Tuam Fides*, ac *Constantia* *Corollam*; nexum *Tuum Iustitia Sertum*; flexam *Tuam Prudentia* *Laureolam* in *Æde Æternitatis* perennis; & *Perennitatis* æternæ adponite, suspendite. En *Aram*; en *Statuam*; cui malam *Livor* non injiciet manum; *Vobis* exstruatam; erectam. Plaudite, & tanto *tanti Principis* honori; cujus termini *Oceani* æquales sunt finibus, adplaudite. Hem *COMM!* quis *Me Locus* habet? *Somniabam*. Sed *Honoris Maximi* admiratio maxima me perpulchræ *Laudis* dulci sopore excivit, & excitavit. Desino ergò *somniare*: hoc est; *Istas laudes* malo venerari *tacendo*; quàm imminuere

dicendo. DIXI.



IN



IN

Expolitam, & Eruditam

Ornatissimi & literatissimi Viri-Juvenis,

Dn. IACOBI COP

Parentationem.

VT lusit, læsit *Vulpecula*, fortè toreuma,
Dædaleâ fictum *Mentoris* arte cati.
Quippe ibi vocalis, vitalis nulla cerébro
Vis, ac elinguis *Caudicis* instar erat;
Sic & *Ho mo* reses est, talis cui pura medulla,
Est mutus, brutus, *Cos*, nec & umbra *Bovis*.
Dos data dupla Ho MINI, quî repræsentet, a pludis
A brutis, mutis *Se* procul esse tholis.
Quarum, si *Nobis* facies adridet *Homilli*
Non saltim, sanè neutra *Sequestra* cluet.
Nam *Mens* tessellâ nec vermiculata, nec hilô
Junis; sic nec iis *Lingva* pavita rudis.
Exin' ceu *Mentis* tabula est crustanda sigillis;
Barbaries Lingvæ sic dolienda dolô.
Forfan & imprimis, quia major a murca *REALJUM*:
Res, Res in verbes querquera quæque crepat.
Fasti-

Fastidit *PEITHO*, dentum commorſicat haſtis
Nudis, criſpatis naribus *Euepien*.
Vah, captat vacuas, fatuas *Ixionis* auras!
Et pro *Lucinâ* nubila vana tagit.
Diſperdit miſerè vah *Battica mattica* verba!
Pacuvl, *Mævl* Semilatina blatit.
In Cathedris, calettris prograxit, obacerat iſthæc,
Inque Charaxatis ſic *cata-doctâ* rudit.
Sterquilini fimo *Sapientia* tamta videtur
Intercluſa, velut *Gemma* ſepulta luto.
Digna proinde *Mibi Copia Spes maxima Gentis*
Alite *Pelignô* Carminis Ellogii,
Quòd ſpiras, ſperas *Peitbûs* penitralia magna
Indugredi: *Latium* quodque laceſſis *Epos*.
Non, de *Febre Favorinus*; nec *Demone Bruno*
Italus ut fecit; verba polita ſeris;
Non de *Calvitie Synesl*; nec *Pulice* miri
Heïc *Calcagnini*, verba dolita facis;
Non de *Luciani muſcâ*; rapâq; *Dioclis*;
Stultitiâ *Eraſmi* verba pavita refers.
At de *FRIDRICO* *Magno*, *Sapiente* vocato
Verba polita ſeris, *verba dolita ſeris*.
Et non in doljo, ſolio ſet *Pallados*; atque
MARTINO *Magno* *Judice* aduſque *Duce*.
Nec *Marrucinis*, *Minturnis* talia; verum
SEMIDEIS *Magnis*, *Magnanimisq; Sacras*.

E

De

UM:
epat.
aſti-

De *Magno, Magnis, sub Magno Magna*: futurum
Quis non *Te magnum* rerier indè velit?
Macte age macte redi, polias meliore lapillò
Labra, riges, stipes *Nectaris* imbre sinus,
Ne *Stribligo* iterùm, & vecors *Sartago* loquendi
Tollutim adrepat senta per hirta labris.
In *Magnâ Pharetra* viduate fornice, fiet,
Sive *Sedile Tuum*, sive *Cubile Tuum*.

gratulabundus adposuit

*Christianus Gveinzius Gubnâ
Lusatius.*

In *terrogatus olim Atheniensium*
Orator optimus, Demades, quem sua
Habuisse Eloquentiæ Magistrum; ita
Retulit: τὸ βῆμα: Scilicet subinnuens
Quod Tullius Pater Latix Facundiæ
Monet, quòd unicus loquendi, ac Optimus
Effector, & Magister existat Stilus.

Revolvis hac, COP I, Omnium sua visime
Amice: certa Tibi stat Sententia:
Svadæ, Dicesq; effundere undas Neminem,
Quin antè verterit Stilum sapissimè,

Nocturnus

*Noctu, diu vertens Stilum Facundiam
Venaris, Illam Tullii Facundiam.
Res ipsa loquitur: Diligentiam Tuam
Oratio prasens satis probaverit,
Quam Tullianâ amœnitate splendidam,
Tropisq; commodis notatam jam exhibes
Tuis Patronis; atq; Mecœnatibus.*

*Sic perge: Sic & uberi Facundiâ
Politus, & Venustus remeabis domum.*

Honoris, & Amoris causâ faciebat

Melchior V Ve generus Gub. Lusac.

F I N I S.



Q 279
C 1887

Politus, & Venerabilis viri
Die pax: die pax: die pax:
Tuis pax: die pax: die pax:
Tropidus, comendatus pax
Quam illius auctoritate
Oratio pax: die pax: die pax:
Res ipsa pax: die pax: die pax:
Venerabilis, illius pax: die pax: die pax:
Noctis, die pax: die pax: die pax:

Honoris & Amoris causa faciebatur

Altehrwürdiger Herr

F I N I S



nc
wa



AN
K
O
D
I
T
B

ULB Halle
004 779 967

3





18, 20. XVIII

PIENT
IOHAN-

Ipsô

Dn. JACO

JACOB

ReDeM

Typis exsc



viris
IENTIS

BERSTA-

USAT.

ostrl. 10/10

mannum.



Kodak
LICENSED PRODUCT
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White

Inches
Centimetres

